



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Amos, Abdiam, Et Ionam Prophetas, Commentarij Francisci Lamberti Auenionensis

Lambert, François

Argentorati, 1525

VD16 B 3868

Pars Qvarta. Quarto, adserit domum Iacob nunq[ue] omnino
conterenda[m].

urn:nbn:de:hbz:466:1-35983

unde esse quod regna Deo iudicante evertuntur, quam a
criminiū multitudinē. Propterea hi per quos Deus alios
exterminat, expauescant, nam & ipsi peccatores sunt.
Contriuuit multos per **A**Egyptios, & **I**sraēl destruxit, per
Assyrios, demum & **A**ssyrios et **A**Egyptios, evertit per
Chaldaeos, demum **C**haldaeos per **M**edos & **P**ersas, & sic
de reliquis gentibus. **M**irabilis Deus in iudicijs suis. Ipse
populo uno, quasi uirga furoris sui, alium cedit etiam
usq; in hunc diem.

P A R S Q V A R T A.

Veruntamen conterens non conteram do-
mum **I**acob, dicit **D**ominus. **E**cce enim man-
dabo ego, & concutiam in omnibus genti-
bus domum **I**sraēl, sicut concutitur triticum
in cribro, & non cadet lapillus super terram.

Qui gentes alias usq; ad internitionem aliquando cō-
terit, ita ut uix eorum aliquod uestigium supersit,
nunquam domum **I**acob est similiter contriturus.
Reliquae enim **I**sraēl saluae fient. **E**t sicut in **O**sea, ac non
nullis alijs locis diximus, et probauimus, ingressa in **C**hri-
sti **E**cclēsiā **G**entium plenitudine, totus quoq; **I**sraēl in-
troibit. **D**e his intellige, qui ad uerum semen **A**brahae, ue-
rumq; **I**sraēl spectant, nempe electis. **F**utura enim est infi-
gnis & patens eius populi conuersio, quemadmodum cū
nonnullae

nonnullæ regiones ueritatem suscipiunt, etiam si plurimi ex illis eidem minime consentiant. Profecto aliquid præclarum facturus est Deus, de populo ipso Israël, etiam iuxta carnem, & miram in Ecclesia ex eorum conuersione gloriam futuram, mihi est persuasissimum. Nimirum non potest irita fieri promissio dei. Videmus enim, omnia impleta etiam iuxta carnem, siue externe, quæ de illis prædicta erant, promissa Abrahamæ, Isaac, Iacob, Dauidi, & cæteris, demptis his, quæ de ultimis diebus prænunciata fuerunt. Seruiuit nanque Abrahamæ semen Aegyptiis, & ab eis cum ingenti gloria liber factus est, habuit terram illis promissam, erransq; ab ea pulsus est Israël, hoc est, regnū decem tribuum in Assyrios, Iudas uero in Babylonem. Et non est soluta captiuitas Israël, Iudas autem post annos 70. redijt in terram suam. Hierusal:m quoq; & templum reædificata sunt. Denum ob Christi & uerbi eius potentiam maior fuit gloria domus huius nouissimæ, plus quam primæ, quæ alioqui siue externe multo minor fuit. Non fuit ablatum sceptrum à Iuda, donec ueniret semen illud, nēpe Christus, in quo omnes gentes, benedictionem fide sue sceptræ erant. Venit autem, natus ex impolluta uirgine, cui contradictum est, à Regibus, & Principibus terræ Israël, etiam cum adhuc puer esset, ita ut proinde in Aegyptum abierit, sed ex ea uocauit Deus filium suum. Deniq; eo usq; progressa est gentis suæ impietas, ut aduersus illū prouocarūt alienigenas, Pilatum scilicet & suos, & simul cum eis damnauerunt illum obprobrio crucis, & negauerunt

runt illum esse, quod erat. Propter quod abiectus est, ne
 esset ultra Domini populus, & abscessi sunt, dispersiq; in
 omnem terram. Et sic contrita est domus Iacob, uerum
 non sic, ut absq; ulla spe. Quod & hoc loco Prophe-
 ta noster ait, aut ut propius loquar, Deus per eum. Ecce
 mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum
 Israël, & c. Vel, ut septuaginta habent: Ego præcipio, et
 uentilabo in omnibus gentibus domum Israël, sicut uenti-
 latur uentilabro. Quod quàm uerum sit, nemo non uidet.
 Decem namq; tribus, etiam Hebræorum testimonio, adhuc
 captiue sunt & obcluse, duæ uero per orbem dispersæ et
 sedent omnes à multis diebus, iuxta Osee uaticinium ca. 3.
 sine Rege, sine Principe, sine Ephraim & c. & expectant
 Christum, nescientes eum uenisse, qui uenit. Siquidem ue-
 nientem minime agnouerunt, & neq; id quidem potue-
 runt, quod cæci & carnales essent, & iam multum quidē,
 ut ipsum mundi Seruatorem, turpissimo genere mortis cō-
 demnarint. O iudicij diuini abyssum profundissimam, qui
 per hypocritas populi sui mundi restorationem, quæ
 morte uerbi sui incarnati fienda erat, adimplere uoluit.
 Ob id reprobati sunt, & gentes in Ecclesiam admixtæ in-
 signi & patenti conuersione: Cæterum de Israël, hoc ne-
 cesse est sentire, quod non cadet ex eis super terram, uel
 capillus unus, id est, nullus ex electis eiusdem populi dispe-
 ribit, quod & de electis aliarum gentium tenendum est.
 Nam sunt oues illæ, Domini IESU, quas non rapiet qui
 præterit à manu eius. Ioan. 10. Proinde Lu. 21. ait discipulis suis,
 & in eis electis

FRANC. LAMB. IN AMOS

Et in electis omnibus omnium gentium, qui ad semen Abrahæ, et ad domum Israël spectant. Capillus de capite uestro, non peribit.

Restaurabitur ergo Israël domus, etiam iuxta carnem. Iuxta carnem dixi, non quod putet quispiam me se qui uelle iudaicas fabulas, de regno Christi externo, de re edificatione Hierosolymæ et templi, ex lapide precioso, et id genus nenas, sed quod gloriosa et aperta erit illorum conuersio, ut ex Paulo. Roma. ii. est uidere. Nam si delictum et imminutio eorum, sunt diuitiæ gentium, quid putamus futuram illorum plenitudinem? Et si reiectio eorum fuit reconciliatio mundi, quæ erit adsumptio, nisi uita ex mortuis? Propter incredulitatem defraçti sunt à sancta radice, ut Dei populus, sicut eorum patres sint. Sed potest esse Deus dare illis spiritum fidei, et denuo inserere illos, facereque ut quemadmodum carne, ita et spiritu, uerum semen Abrahæ sint. Quod et faciet: Nam secundum electionem sunt Deo ob eorum patres charissimi. Dona quoque et uocatio siue electio Dei, eiusmodi sunt, ut eorum illi poenitere non possit. Datum autem Dei fuit, Abrahæ semini, et ad id electum præ cunctis nationibus atque uocatum est, ut in eo maxime sua magnalia palam faceret, errantibus uapularet, et corrigeretur, sed non omnino exterminaretur, ut multi ex reliquis gentibus, promissaque illi fuit reparatio, in pactum salis, hoc est, sempiternum et incorruptibile, quemadmodum et sal conseruat à putrefactione. Ob id dicitur. Esaiæ. 59. Cur uenerit quasi fluitans uoluitus,

lentus, quem spiritus Domini cogit, et uenerit Sion redemptor, & his qui in Iacob, id est, ex domo eius, redeunt, id est, conuertuntur ad Dominum ab iniquitate, hoc fœdus meum cum eis. Spiritus meus qui est in te, & uerba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, dicit Dominus, a modo, et usque in sempiternum. Quæ uerba Paulus Ro. 11. de ultima Israelis conuersione interpretatur, propter quod & de illa capienda sunt.

Non desunt autem, qui prorsus negent ipsam, de qua agimus, Israelis apertam conuersionem, quod certe à uerbi syncretitate alienum est. Nam quemcumque sensum, alium à præscripto, ad dictum Pauli textum attuleris, non congruet textus simplicitati. Ego omnino adsero, futuram tam insignem dictam conuersionem, ut aperte omnes gentes sint cognitura, quæ, non exciderit sermo Dei. Nimirum qui eos in tam graui cecitate posuit in bonum gentium, ipse donabit eis, ut reuertantur, ad eum quem non agnouerunt, et resipiscant, & pauebant ad summum bonum eius, quem mortuum arbitrabantur, & adorabunt eum in nouissimorum dierum. Ego non sum Israelita iuxta carnem, uerum de Israele, ob aperta Dei scriptorum testimonia sentio, quæ non, ut quidam, perperam et imprudenter, eorum conuersio fiat quotidie in nonnullis paucis, de quibus uix quicquam scitur, sed quod erit præclara, mirabilis, gloriosa, & cunctis in gloria Dei nota. Et profitebuntur aperte omnibus ac predicabunt Christi gloriam, & multum omnino ex eis Dei Ecclesia illustrabitur. Nam ut diximus, Paulus adserit eorum conuersionem

L. futuram

futuram mundo, quasi uitam ex mortuis. **Q**utinam uide-
rem hanc gloriam Israël, & particeps fiam benedictio-
nis eius, quæ erit, cum ex eis & gentibus uere conuersis,
fiet unum ouile, sub uno pastore **C**hristo. **S**cimus denique
ex **P**aulo, omnes uniuersarum gentium electos, ad semen
Abramæ, domumq; Israël pertinere, quos certum est, disse-
rire non posse. **S**cimus quoq; & ipsam iuxta carnem Isra-
ëlis domum, typū gerere **E**cclésiæ **D**eï, cuius causa omnia
illis in figura contangebant. **P**ropterea, ut aptius quod
figurat, in se exprimat, necesse est, eam perpetuam esse, et
tandem non abijci. **N**am uniuersi aliarum gentium electi,
sic sunt filij promissionum **D**eï, ut tamen primū electis ex
domo ipsa Israël factæ sint. **C**hristus ait **M**atth. 15. **N**on
sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israël, quod
non potest de sola Israël domo, iuxta carnē intelligi, sed
de uniuersis electis, pro quib. etiam seruandis uenit. **N**am
ipse est illud semen, in quo omnes gentes benedictionem si-
de suscepturæ erant. **V**erum id primum de ipsa Israël is ex-
terna domo capitur. **I**deo & primum illis prædicauit, ad
quos primum missus fuit.

Paulus ubi supra, ait, cæcitatem ex parte Israël conti-
gisse, donec in **C**hristi **E**cclésiā introierit gentium pleni-
tudo: quod postquam aduenerit, tum & ipse Israël intra-
bit, hoc est, ad **D**ominum conuertetur, & sic totus Israël,
non dubium quin omnes qui spectant ad domum Israël,
& uerum **A**bramæ semen, sunt q; filij promissionum **D**eï,
uidelicet uniuersi electi, ex Israele & cunctis gentibus con-
gregati

gregati, salui fient. Implebitur autem, quod Propheta
 noster dicit: **N**on peribit lapillus ex eis, nempe ex electis,
 primum, qui iuxta carnem ab **I**sraele prodierunt, denique
 ex electis gentium reliquarum.

Si quid ultra locutus fuero de **I**sraël, hi quibus sola que
 somniarunt, placent, me ineptire et **I**udaizare arbitrabi-
 tur, quibus respondeo, pro gloria esse mihi apud dominū,
 & ab id genus somniatoribus, scripta nostra in diuersum
 rapiantur. **N**am eorum maledictus ueritas solidior reddi-
 tur, & eo me uerius locutum fuisse arbitror, quo plus il-
 lis displicuero. Idcirco posteaquam cœpi de **I**sraële scribe-
 re, nonnulla subijciam, que si **C**hristus me, & uita, et suo
 spiritu dignabitur, in ultima **E**zechielis parte, nempe à tri-
 gesimo quarto capite usq; in finem, plenus interpretabi-
 mur. **I**dem apud **A**pocalypseos finem.

Guiur, ne prescriptis subsannatoribus cæcis, parum in
 epus uidear, & inde gloriar in **D**omino, præter id quod
 adserui ex uerbo **D**omini, de ultima **I**sraëlis conuersione,
 dico impium esse, negare congregationem **I**sraëlitarum in
 montes & terras eorum, quos ego puto, tametsi non adse-
 ro, ibidem fore congregandos. **N**imirū hoc à priore sentē-
 tia pendet. Multis enim scriptorum **D**eī argumentis, id ad-
 serere compellor, quod montes **I**sraël **E**cclēsiā **D**eī figu-
 rant. **S**ed quis tuto negare potest, ipsam rem figuratam,
 maxime impleri in dictis montibus. **N**on dico futuros mō-
 tes aureos, auream **M**icrosolymam, templum externum,
 que uidetur in faciem describere **E**zechiel, in uisione ul-
 timæ

FRANC. LAMB. IN AMOS

ma, & iohannes in fine suæ Apocalypseos, nec quicquam
id genus fabularum adfirmo. Sed id est quod sentio, nempe
ex Apocal. 20. dies uenturos, quibus bestia coccinea Anti-
christo, ac pseudopropheta, missis in stagnū sulphuris &
ignis, euersaq; Babylone fornicationum matre, uincietur
draco, qui & Satanas, hoc est, impeditur, ne seducat &
insaniet, ut uolet, in tempus per mille annos designatum,
quod puto futurum breuiss. & significari Apocal. 8. per si-
lentium mediæ horæ factum in apertioe septimi sigilli. Ne-
que mirū est, breue tempus longo significari, præsertim in
scriptis Dei, q. mille anni sint ante oculos eius, tanquam di-
es hesternæ quæ præterijt. Tempore demum præfinito, sol-
uetur Draco, & seducet omnium seuis. Gog et Magogē-
tem, in quatuor angulis terræ existentiē, de quib. Eze. 38. et
39. quarum mysterium in locū suum dimittimus. Porro di-
ctum silentium, quid aliud esse putamus, quàm mirificam
Ecclesiæ pacem, Israël, & omnib. gentib. ad Christū con-
uersis in orbe futuram? Neq; dubito, quāuis non adfirmē,
conuersis Israëlitarum terris, illos ad eas uēuros, aut mul-
tos saltem ex eis. Nam quis phibeat eos? Tantoq; ardore
surgent in Christi gloriam, ut non iuxta carnē, sed ex fide,
ac fructib. iustitiæ fidei, uere sint restauraturi ciuitatē dei,
per Ezechielis descriptionem figuratam, & pascuis uber-
rimis æternæ ueritatis, in ipsis montibus Israël pascuntur.
quorum exemplo, in omnib. Sanctorum Ecclesijs, per to-
tum orbem, tam insigniter regnabit Christus, ut in omnib.
rebus laud agnoscat, quàm ipsissima ciuitas Dei, & re-
gnant

COMMENTAR. CAPVT IX. 33

gnum Christi. Tum implebitur illud Apo. 11. Factum est regnum huius mundi, Dei, & **DOMINI nostri IESU Christi**. Et illud capite. 21. Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem, nouam, descendentem de caelo, a Deo paratam, sicut sponsam ornatam uero suo. Et ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipse Deus cum eis, erit eorum Deus. Sicq; in omnibus sanctorum Ecclesijs, Domino tam gloriose regnante, uidebitur, ubique nouam esse Hierosolimam, nouosq; montes Israel, olim abscondito uerbo desertos, tum eo praesente fecundissimos, & nouum etiam Dei templum, non ab alio quam a summo artifice Deo constructum.

Gentes autem Gog & Magog, quae per uniuersam terram sunt dispersae, de quibus uolente Domino, apud Ezechielem & Apocalypsim, locis praescriptis agemus. Haec, inquam, gentes, uere domus Israelis, id est, Ecclesiae sanctorum aduersariae, quas toto praememorati silentij tempore, deus Opt. Max. retinebit, ne, ut cupient, in Sanctos desaeuiant, imò & nunc retinentur (siquidem & nunc sunt quidem) soluto Satana ab eo tam seducentur, ut ab omnibus terrae angulis patenter surgant, ut ciuitatem Dei, ueramq; domum Israel, hoc est sanctorum Ecclesias perdant. Surgent autem uel multo maxime in sanctos, qui in terris et montibus Israel habitabunt, sine muro, portis, & uectibus, ac omni carnis praesidio, ut dicitur Ezech. 38. hoc est, neq; muris, neq; portis, neq; alijs id genus ad carnis robur spectantibus praediet, sed in solius Dei et Christi eius purissima et integer

FRANC. LAMB. IN AMOS

rīma fiducia, securi uiuent & manebunt. Ergo nihil mi-
nus uolent, quā edificare iuxta carnem Hierosolymam,
& templum Dei, sicut ab Ezechiele descripta sunt.

Quere felicissimos dies: & quis uidebit eos? Fiat Do-
mine **IESV**, fiat uoluntas tua, ita in terra, quemadmodū
& in caelo, ut non tantum in nonnullis abscondite in corū
animis regnes, sed sicut olim in sanctis Apostolis & disci-
pulis mirabilis agnoscebaris, ita Israēle simul ac gen-
tib. conuersis, in toto orbe multiplicentur fideles tui, in qui-
bus glorificetur nomen tuum. Non est uenturum cum ob-
seruatione regnum tuum. **Lu. 17.** Caro enim & sanguis,
te & tua nescit, ideo ipsum desiderabile regnum tuum ob-
seruare nequit. Deniq; abscondisti hęc à sapientib. et pru-
dentib. huius seculi, & paruulis ac humilibus ea reuclasti
Mat. 11. & **Luc. 10.** Idcirco tametsi electi non obseruant
omnia quę ad idem regnū spectant, fit tamen in eis, tuo spi-
ritu erudiente, dum uis, & quantū uis, ut multa agnoscat,
nempe uerbū tuum, sinceramq; eiusdem prophetiā, senti-
antq; in ipsis uim fidei & ueritatis, in reliquis uero fide-
lib. tuis, fructus iustitię tuę, cuius ex fide illos facis partici-
pes, multipharie experiantur. Et quicquid omnino ex eo-
dem regno facit ad gloriam tuam, illisq; est ad salutem ne-
cessarium, te illustrante obseruant. Fac nobiscum Domi-
ne, & cū semine nostro, ut uideamus hanc gloriam regni
tui, quę ab hostib. tuis, nisi & illi conuersi fuerint, obserua-
ri nullatenus potest. **Veni Domine IESV**, accelera, et no-
li tardare. **Dona seruis tuis, ut uideant plebem à te electam**
cui legem

cui legem tuam committeres, deum à te reiectam & excusatam, quod te salutis autorem abnegari: denuo ad te conuersam, cum omnibus gentibus, ut sub te pastore uero, unum ouile simus. Domine, quando hæc erunt? Quando uisitabis Israël, et admittes illos ad te simul cum gentibus? Quando nobis erit illorū adsumptio, quasi uita ex mortuis, quorum abiectio fuit reconciliatio mundi? Excisi sunt à radici: nonne potens es iterū inserere illos? Excisi sunt, ut insereremur. Inse- re o pater noster, qui nos inseruisti eorum sancte radici: inse- re illos iterū, radici unde eos excidisti. **U**t quid naturales ramos non adponis radici oleæ, qui nos siluestres eidem iunxisti? Nunquid perpetuo exciserunt? Absit à te qui bonus es. En miseri quantumlibet cæci, te quasi non iam ueneris, operiuntur. Venisti autem à seculis nullis. **Q**ui s. phibet, ne illis palam facias ipsum aduentum tuum. Ecce cum recepisti nos ad te, nihil minus quam te operiebamur, sed gratis in tuum populum admi- sisti nos: hi autem operiuntur te, etiam si in comp. uribus te expectando aberrant. Deuorarunt nanq. eos bestie a- gri, falsi prophetae, eos seducentes, & auertentes à te. So- lum egent lumine ueritatis tuæ, ut uelamen auferatur ab oculis eorum. Admitte ergo illos iterum, & inse- re eos denuo radici unde excidisti. Patres eorum pro nobis te precati sunt, ut insereremur, & nos uicissim te oramus pro eorum filijs, ut iterum inserantur. Potens es Domi- ne, & ueritas tua in circuitu tuo. Promisisti enim te id fa- cturum, per seruos tuos Prophetas. Scimus, quod nos di-

gnatus fueris recipere in populum tuum, semen **A**brahæ
 & **I**srahel, in nobisq; adimpletas promissiones tuas: ue-
 rum & scimus te promississe restorationem dicti **I**srahel-
 lis, ut in hoc uersu **A**mos quem tractamus, & passim in
Ezechie. e alijsq; locis. **C**onterens enim domum **I**srahel, te
 promittente, eam sicut alias nationes quas exterminasti,
 nunquam es contriturus. **Q**uemadmodum enim electi pe-
 rire nequeunt, ita neque illi quos electorum typum feci-
 sti. **P**ercussisti eos, & sanabis. **F**ecisti, ut à multis sæcu-
 lis manerent absque **R**ege, **E**phot, sacrificio, templo &c.
 sicut in **O**sea capite tertio prædixisti, quod nunquam im-
 pletum est, nisi posteaquam te abnegarunt. **N**am antequã
 uenires, semper fuit excis dux & **P**rinceps. **N**imirum nõ
 fuit ablatum sceptrum de **I**uda, donec uenisti. **G**ene. 49. **I**n
 perest ergo, ut impleas, quod ibi dicit **O**seas, nempe quod
 te **D**ominum & **R**egem eorum quærent, pauebuntq; ad
 bonum tuum in nouissimo dicrum. **R**edibunt ergo ad te,
 sed non sine te, nam eos inlustrabis, ut te agnoscant, &
 trahes post te, quod alioqui nihil possint. **P**recamur igitur
 nunc te, ut cum illos denuo radici eorum naturali in-
 serueris, non nos excidas, ut illos inseras, sicut illos exci-
 disti, ut nos insereres, sed utrosq; in eadem radice confir-
 ma. **Q**ui illos ex parte excæcasti, ut intraremus ad te, nõ
 li nos excæcare, ut illi intrent, sed utrosq; serua, & tua
 ueritatis sempiterno lumine dona, ut omnes pariter agno-
 scamus & glorificemus te, ac tibi in sanctitate & ueritate
 stituta seruiamus, omnibus diebus nostris. **N**ihil minus licet
 cis

cis erit eis, si cum eis tue luci participemus. Neq; domus tua parua est, ut non possit omnes capere. Magna quippe est domus tua, & ingens locus possessionis tue, qui uiuus & regnas cum patre & spiritu sancto unus Deus, per secula semper.

Igitur sic ut prædiximus, Gog & Magog in sanctos insurgentibus, ueniet illis in auxilium Dominus, & exterminabit eos, ut habetur Ezech. 38. & 39. & Apoca. 20. & draconem qui eos seduxerat, mittet in stagnum ignis, & iudicium sedebit &c. Apoca. 20. ubi plura nos acturos de huiusmodi confidimus. Oramus autem piuum lectorem, horumq; mysteriorum audium, ut ad id nobis, & facultatem & spiritum à Deo precetur.

P A R S Q V I N T A .

In gladio morientur omnes peccatores populi mei, qui dicunt: Non adpropinquabit, & non ueniet super nos malum.

Hoc uerbum idem est illi quod habetur Hierem. 5. Ascendite muros eius, & dissipate, consummationem autem nolite facere. Auferte propagines eius, quia non sunt Domini. Præuaricatione enim præuaricata est in me, domus Israël & domus Iuda. Negauerunt
L. Dominum